

www.e-rara.ch

In epistolam Pauli ad Galatas D. Martini Lutheri commentarius

Luther, Martin

Basileae, anno 1525

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1555>

Caput tertium

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

nō potest meus esse discipulus. hoc est, nō eris Christianus, nisi sola fide nitaris, tuis iustitijs penitus reiectis.

CAPVT TERTIVM.

O insensati Galatæ, quis uos, &c.



Vnc ad Galatas reuertitur. Nam hucusque
cōtra Petrum dixisse, diuo Hiero. putatur.
 Verum an omnia ista præsente Petro effuderit, nescio. Ego diuinarem, ab illo loco, propter quod non iustificatur ex operibus legis omnis caro, desijisse cū Petro loqui. Quia repetit, quod paulò superius ad Petrum dixisse se scribit: scientes, quod non iustificatur homo ex operibus legis, &c. Atq; iam ab isto loco cū Galatis deinceps disputare, & reliquis argumentis opera legis confutare. Tamen esto unicuique hic suum iudicium.

Igitur Paulus totus æstuans pio zelo, & si totā epistolam ferè argumentis & cōsutationibus repleuerit, immiscet tamē aliquoties exhortationem, obiurgationem, nonnunquam & eadem repetens inculcat, omnia tentās pro Apostolica solitudine, insensatos, stultos, amentes, eos uocat, authore Hieron. Vel quod regionis proprietate eos pulsas, sicut ad Titum: Cretenses mendaces, & alias gentes alijs uitij notat. uel quod à maioribus ad minora uenerāt, ac uelut repuerascere cōperāt, ad pædagogum legis reuersi. Et hoc magis mihi proba-

probaturnam in sequentibus de clemētis, de pædago-
go, de herede paruulo disputat, manifeste eorum stul-
titiā ac pueritiā taxans.

Hoc & uerbū Fascinauit, ostēdit. Pueris enim & eta-
ti paruule, ut idem Hiero. ait, dicitur proprie fascinus
nocere. Est aut fascinare, aspectu malefico ledere: ut
Vergi. Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.
Hoc utrū uerū sit nec ne, deus uiderit, inquit Hierony.
quia potest fieri, ut dæmones huic peccato seruiant.

Ego credo hunc esse morbum infantulorum, quem
mulierculæ nostræ uulgo, die elbe, seu das hercz ge-
span uocant, quo uidemus infantes tabescere, macresce-
re, ac misere torqueri, aliquando incessanter clamare
& flere. Cui morbo, rursus, nescio quibus literis & su-
perstitionibus tentant occurrere. Creditū est enim ab
inuidis illis, & maleficis uetulis, si cui formosulum in-
fantulum matri inuideant, talia fieri. Vnde & uerbum
græcum, non tantum fascinare, sed & inuidere quoque
significat, teste Hiero.

Ita & Galatæ, cum essent in Christo, quasi modo
geniti infantes, & feliciter crescerent, à pseudoapostos-
lis fascinantibus sint læsi, & ad legis macredinem, imò
miseriam, tabescentes reducti. Et satis pulchra stat si-
militudo. Nam ut fascinator diros figit in infantē oculos,
donec noceat: ita pestilens doctor, figit oculum su-
um nequam, id est sapientiam suam impiam, in simpli-
ces animas, donec ueram intelligentiam corrumpat.

Oculus enim, ut Lucæ 11. in scripturis, doctrinam, cognitionem, etiā ipsum doctorem, significat. ut Iob 31. Oculus fui cæco. Et, Si oculus tuus scandalizat te, &c. Hi sunt, quos scriptura dolosos, illusores, mentiumq; deceptores uocat. Psal. 1. In cathedra pestilentie non sedit. Ebraice, In sessione illusorum. Prouerb. 3. Abominatio est domino omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius.

Conclusio. Sed hic insurgit questio, an apostolus hoc loco credendus sit approbare, fascinum esse aliquid. D. Hiero. putat eum usum sermone triuij, & ex opinione uulgi exemplū sumpsisse, non quod fascinū esse scierit. Quomodo & nonnulla alia ex gentium fabulis in scriptura assumi uidentur: ut arcturus, orion, pleiades in Iob, syrene, onocentauri pilosi apud Esaiam.

Ego (ut dixi) credo maleficas illas opera demonum, deo permittente, uere infantulis nocere posse, in pœnam infidelium, & in probationem fidelium: cum & multa alia (ut euidentis est experientia) noceāt, tam in corporibus hominum, quàm pecorum, omniumque rerum. Atq; hæc apostolum non ignorasse.

An te quorum oculos Christus, &c.

Regula.

Christum in aliquo crucifigi, nunquam in bonū accipitur in scripturis. sicut Ebræ. 6. Rursus crucifigentes in semetipsis filium dei. Et supra, nō ait, Crucifixus est in me Christus: sed, Viuit in me Christus. Hic autem dicit: In

et: In uobis crucifixus. utiq; hoc gemens & æstuans, quod Christus non uiuit, sed mortuus in eis est: hoc est, fidem eius per legis iustitiam in eis extinctam esse.

Proinde uerbum Præscriptus, siue de scriptura, siue pictura accipiatur, probō: ut sit præscriptus quod coram positus, & ad oculum monstratus. Nam ideo addit, Ante oculos ut exprimat hunc sensum. Deinde deleta coniunctione Et, ut in græco, sic stet textus: Quibus in oculis, seu ante oculos, Iesus Christus præscriptus est, in uobis crucifixus. hoc est: Ecce uos ipsi cernitis, & argumentis prædictis effectum est à me, ut clarum, & in oculis uobis depictum, & antescriptum sit, Iesum Christum esse in uobis crucifixum.

Hunc esse sensum, si præcedentia, imò totius epistolæ argumentum attendas, credo non negabitur. Præmisserat enim, Nō abijcio gratiā dei. Viuo non ego. Item, Si ex lege iustitia, iā Christus gratis mortuus est. Quæ omnia eò tendūt, quod Christus sit in ijs crucifixus (sicut in Iudæis) quicunq; non in eum, sed in seipso, ac legem confidunt. Nam cum est abiecta gratia dei, non uiuit in eis Christus. Quid ergo restat, nisi quod sit mortuus & crucifixus in eis?

Vtitur autem apostolus (pro æstu suo) uerbis epistolæ multi ardentibus, & uelut impetuosis. Ante oculos præscriptus inquit. quasi dicat, Nescio quomodo clarius monstrare possem. Deinde non solum nomen Christi: sed, Iesus Christus. utrunque nomen cum pon-

dere in clamās. Tandē in uobis crucifixus. Mitius erat si non in uobis, qui tanti fuistis: & leuius erat, mortuus, aut passus, aut infirmus: sed atrociter, crucifixus (inquit) in uobis, ignominiosissime scilicet à uobis tractatus.

Obsecro quid faceret, si & modò uideret in Ecclesia, legibus hominum, Christum etiam plusquàm crucifigi? Nempe illud, quod Act. 20. cum lacrymis, Intra bunt post discessionem meam lupi rapaces in uos, non parcentes gregi, &c.

Hoc solum à uobis uolo discere.

Vide quàm efficaciter tractet locum ab experientia. Quid enim hic prætendent? sint cætera (inquit) in firma argumenta, quibus usus sum, quid hic dicetis? hoc solum docete. Age, si hic discipulus uester, qui uersati estis in operibus legis, dicite, si unquam spiritum acceperitis, donec me prædicante Christum crederetis? Sic cum fiducia insultans, ac iam uelut insolubili uinculo obstrictis, dicit:

Sic stulti estis, ut cum spiritu, &c.

Apparet autē ista ab Apostolo scripta ijs, qui ex Iudaismo crediderant, & prius in operibus legis uersati fuerant: deinde spiritū sanctū uisibili signo acceperāt, sic ut tunc dabatur: alioqui non satis urgeret hic locus, aut certe mixtim gentibus & Iudæis scribit. Sed gentibus quæ à Iudæis antea in legem tractæ fuerant. Nisi dixeris

dixeris Apostolum loqui de operibus legis, in quæ res lapsi fuerant à fide Christi: quod sane mihi probabilius est. Nam ab Apostolis falsis non accepisse eos spiritum, sicut acceperāt per Paulum antea, satis certus erat.

Quod autem D. Hiero. hoc loco discernit opera legis ab operibus bonis. & Cornelium ex operibus spiritum accepisse putat, Act. 10. sanè non credo, cum clarum sit, ad prædicationem Petri, hoc est, ad auditum fidei (ut hic dicit) cecidisse super eos spiritum sanctum. Neq; etiā Abraham, Moses, & cæteri sancti (sicut conatur) ex operibus legis naturalis iustificati sunt, sed ex fide: ut hic, & Rho. 4. scribitur. Apostolus non legem ceremonialem tantum, sed omnem prorsus legem notat. Quia cum sola fides iustificet, & opera bona faciat, sequitur, quod nulla prorsus cuiuscunq; legis opera iustificent: neq; bona sint opera ullius legis, sed tantummodo fidei.

Hæc autem attuli, ut lectorem Hieronymianum moneam id, quod ipsemet postulat, & in prologo suo & epistola ad B. Augu. scilicet cōmentarios à se esse scriptos, in quibus usus est referre aliorum sententias, & lectoribus liberū iudicium relinquere. Hoc enim, cum nō pauci theologi, & iurisperiti non observēt, aliquando monstra sententiarū sequuntur, pro domestica Ecclesiæ doctrina.

Illud autem, auditu fidei, pro ipso audibili, pro ipso sermone, qui auditur accipitur: ut sit auditus fidei id,

quod uerbum fidei auditum. Act. 10. Adhuc loquente Petro uerba hæc, cecidit spiritus sanctus super omnes qui audiebant uerbum. Sic Es. 53. Domine, quis credit auditui nostro? Et Habacuc 3. Domine, audiui auditionem tuam, & timui. Item frequens hic tropus scripture, ut Hiere. 49. Abdiæ 1. Auditum audiuiimus à domino, &c. Sed hic rursus laborat D. Hiero. unde surdi fiant Christiani, præsertim quando Rhom. 10. dicit: Quomodo audiēt sine prædicante? Quomodo credent quem non audierūt? Et, ut hæc et illic gradatio apostoli, Primū est mīti, deinde prædicari, tum audire, tum credere, tum inuocare, & sic salutem consequi.

Potentissime ergo Paulus hic confodit opera legis, tum etiam nostrorum theologorum somnia, qui meritum congrui inuenerunt ad gratiam obtinendam. Verum apostolus dicit, Non operibus, sed auditu uerbi: hoc est, Si patiaris uerbum, quiescas tu, & sabbatū domini à tuis operibus ferieris, ut audias quod loquatur in te dominus deus tuus.

Ideo signabis hoc Pauli memorabile documentum: Si uis gratiam consequi, id age ut uerbū dei uel audias intente, uel recorderis diligenter. Verbum inquam, & solum uerbū est uehiculū gratiæ dei. Nam quæ tu opera congrui uocas, aut mala sunt, aut gratiā iam uenisse necesse est, quæ illa operetur. Stat fixa sentētia: **EX AUDITU FIDEI** accipi spiritū. Hoc modo acceperunt spiritum, quicumque acceperunt.

Nunc

Nunc carne consummamini.

Obserua, carne consummari dicit, hoc est, finire, de-
sinere, deficere. Ex quo loco claret, carnem non modo
pro sensualitate, seu concupiscentijs carnis accipi: sed
pro omneio, quod extra gratiam & spiritum Christi
est. Nam certū est, Galatas nō ideo consummari carne,
 quod luxurias, libidines, aut quibuscunq; moribus car-
 nem sequerentur: sed quod opera legis & iustitiam, re-
 licta fide, quærent.

Caro ge!

At iustitia & opera legis non sunt tantum res sen-
 suales, cum huc etiam pertineat opinio, et fiducia, quæ
 in corde sunt. Quicquid igitur ex fide non est, caro est.
 Ebr. 9. In uarijs iustitijs & baptismatibus carnis. Sic
Gene. 8. Nō permanebit spiritus meus in homine, quia
 caro est. Nō ait, quia carnem habet: sed, quia caro est.
 Et Rho. 7. Non inuenio in me, hoc est in carne mea, bo-
 num. Idem ergo ipsemet & caro sua, quantum est ex
 Adam. Sic iterum: Caro & sanguis regnū dei non pos-
 sidebunt. Et Matth. 16. Caro & sanguis non reuelauit
 tibi. Sed & 1. Corinthiorū. 3. Adhuc (inquit) carnales
 estis, homines estis. cum tamen de apostolorum nomi-
 nibus certarent.

Quibus fit, ut omnis omnium hominum, philosopho-
 rum, oratorum, etiam pontificum, doctrina & iustitia
 carnalis sit, ubi non fidē docent: & satis abusive sacros
Canones dici, qui de dignitatibus & opibus statuuntur,

intelliges, si hic Apostolum audias. Rursum, nihil tam carnale est & externum, quin si operatore fidei spiritu fiat, spirituale sit. Consumantur ergo Galatæ carne, dum affectum & opinionem accipiunt operā legis quorumcunq; , præsertim relicta fide.

Tanta passi estis, sine causa, &c.

Varie hunc locum D. Hiero. enarrat, sed breuiter unam sententiam sequor. Quod Galatæ, cum bene currerēt in fide Christi, multa fuerāt passi, præsertim à Iudeis, qui nullum Christianum non persequabantur: ut in Actibus Apostolorum, & multis epistolis Pauli patet. Quæ tamen frustra passi sunt, si in legem recidentés, permanserint extra fidem: tamē quia sperat eos redituros, dicit: Si tamen sine causa. quasi dicat: si redieritis, non frustra passi fuistis. Arguit enim ab eorū damno, & frustraneo labore, ut commoueat eos, qui per legē nō modò à iustitia Christi, sed & ab omnibus illius meritis & præmijs simul exciderint.

Qui ergo tribuit vobis spiri. &c.

Repetit autem, & inculcat quæ iam supra dixerat. Examinat enim experientiam, qua fortissime eos stringit, simul ut addat, & sequentia subiungat. Prius enim solum spiritum acceptum, nunc & operationes uirtutum opponit: hoc est, miracula, quæ ex legis operibus sese prius operatos nō fuisse, nō potuerunt negare.

Sicut

Sicut Abraham credidit deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

Hoc exemplum & argumentum late Rho. 4. trahatur, ubi probat Abraham ante circumcisionem credidisse, & hanc fidem sibi in iustitiam reputatam esse. Verisimile est & apud Galatas eundem locum ab eo fuisse uocaliter explicatum, & nunc illos commonefieri, & reuocari ad priorem intelligentiam.

Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, hi filij sunt Abrahamæ.

Cognoscitis ex iam citata scriptura: non ergo qui ex semine, aut ex circumcisione. Rho. 4. Et signaculum accepit iustitiæ fidei, quæ est in præputio patris nostri: ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad iustitiam. Et 9. In Isaac uocabitur tibi semen: id est. non qui filij carnis, hi filij dei sunt, sed filij promissionis æstimantur in semine.

Ex hoc loco uides quàm intente & obseruãter uelut scriptura legi. Quis enim hæc argumenta ex textu Genesis traxisset, quod Abraham ante circumcisionem credidit, quod Isaac non nisi per repromissionem obtinuit, & in hoc significari sicut Isaac acceptus est per fidem Abrahamæ credentis promittenti deo, & in semen ei uocatus: ita nullus sit alius Abrahamæ filius aut semen, nisi promissus & fide acceptus, & tam longe ante gloriam Iudeorum fuisse co. tufam, qua de carne gloriantur pa-

trum? Tropus ille (Esse ex fide, Esse ex operibus) cre-
do satis iam notus sit. Sunt ex fide, qui credūt. et infra,
Sunt ex operibus legis qui operantur. Eiusdē generis
sunt esse ex lege, ex circūcisione: et similia apd' Paulū.

Sed non seruat apostolus regulas Dialecticæ conse-
quentiæ. Dicit enim spiritū tributū, & uirtutes factas
ex auditu fidei. Et hoc probat, quia sic Abraham fides
est reputata ad iustitiam. Ergo ne fidem reputari ad ius-
titiam, est spiritum accipere? Aut ergo nihil facit, aut
accipere spiritum, & reputari ad iustitiam idem erit.
quod & uerum est.

Nec ista ratio cōsequentiæ uidetur aliqua esse, qd' dicit:
Abrahā credit, ergo q̄ ex fide sunt, filij Abraham sunt.
Posses eadem dialectica dicere: Abrahā genuit ex uxo-
re filiū, aut comedit. aut aliud fecit: ergo qui idem facit,
est filius eius. Deniq; Iudæis sua sententia firmabitur:
Abraham est circūcisus, ergo circumcisi erūt eius filij.

Verum apostolus ad Abraham respicit, quādo Isa-
ac (qui ei solus in semen promittebatur) fidei merito
obtinuit. Non enim de fide commendatus est, quando
Ismaël genuit: sed tūc pater fidei institutus est et mul-
tarum gentiū, quando uerum suū filium & legitimum
semen accepit: ideo Isaac non tam carnis, quā fidei fi-
lius est. Abrahæ caro nō potuit. sed fides Abrahæ cum
genuit, tamen ex carne sua. Quare non tam Abrahæ,
quā credentis deo promittenti filius est.

Ideo tot uerbis agitur in Gen. ut describatur pro-
missio

missio seminis, et fides Abrahæ in eandē, & appellatio seminis in Isaac sic promissi & crediti: ut ostendatur Abrahæ non esse filios, qui ex carne, sed qui ex fide ei nascuntur. Ideo quod breuius dixerat, iam latius profecquitur, quomodo sint filij Abrahæ qui ex fide sunt, scilicet propter promissionem, quæ super Ismaël non contigit, ideo nec in semen ei reputatus est.

Providens autem scriptura, quia ex fide iustificat gentes deus, prænuñciauit Abrahæ, quia benedicetur in te om. gen.

Providens, id est longe ante uidens. Scriptura, id est spiritus in scriptura, dicit, sicut Genes. 12. Puto apostolum breuitatis studio obmisisse, In semine tuo. cum statim infra utrumq; positurus esset. Abrahæ autem (inquit) dictæ sunt promissiones, & semini eius. Et ita uerum est in utroq; Abraham, & in semine eius promissionem factam. Non refert autem utrum hic dixerit.

Cum igitur hæc dicta sint ad Abraham, nō qualem cunq; aut carnalem, sed iam credentē, obedientem, spiritualē, & omnino aliū hominem, deniq; habentē promissionē sequitur quod scriptura nos uoluerit docere, non esse filios Abrahæ, nisi qui talis & huius Abrahæ filij & semen essent: adeò, ut etiam illi fierent filij, qui de carne eius nō essent, scilicet gētes. ut hic dicit, quod deus iustificet gentes ex fide, ut scriptura prouiderat. & Abrahæ prænuñciauerat.

Ergo in Abrahamā benedicimur: sed in quo Abraham?
Credente utiq; quod si extra Abraham sumus, maledi-
cemur potius, etiam si in Abraham carne fuerimus.
Quia de Abraham carne nihil agit scriptura. Sunt ergo
in Abraham, qui credunt in deo, sicut Abraham.

Igitur, qui ex fide sunt, benedicentur
 cum fidei Abraham.

Obserua epitheton Abrahamæ, Fideli, cum credente
 Abraham benedicetur, nō cū carne generāte, aut alia
 faciente. Non enim scriptura ei tribuit filios, aut semē,
nisi credenti. Qui ergo sine fide sunt, patris sui imaginē
 & hereditatem non referunt: ergo nec filij quidem
 sunt, nisi spurij.

Q. Sed adhuc obstrepet argutulus quispiam: Nec sic ra-
 tio consequentiæ stabit, Abraham credit, ergo creden-
 tes sunt filij eius. Quia per fidē Abraham meruit qui-
 dem filium & semen, sed non hinc sequitur, filios eius
 oportere credere. Alioquin & omnia, quæ credendo
 meruit, necesse erit ut credant, aut Abraham non erunt
 At iam necesse erit, terram Cananæam credere. Sat er-
 go est, Abraham credidisse, & filios meruisse: sed non
 ideo filios oportet esse credulos. Respondetur: Primū,
 quod Apostolus Galatis, ut rudioribus, satis esse cre-
 dit, si filios Abrahamæ esse non posse sciant, nisi sint simi-
 les eidem.

Profundiorē huius mysterij rationē, quam Rho. 10.
 profec-

prosequitur, consulto hic prætermittit. Nam uerè non sunt filij Abraham, nisi promissionis filij. Cum autem diuina promissio, & prædestinatio fallax non possit esse sine difficultate, et cōsequentia infallibili, erit ut omnes sint fideles, qui promissi sunt: ut sic fides promissorum stet, non necessitate operum & fidei illorum, sed firmitate diuinæ electionis. Hoc loco satis erat imitationem Abraham commendare, non promissionis & prædestinationis sublimitatem inculcare.

Ideo, quamuis consequentia illa non stet, Abraham credit, ergo filij eius credent: nisi dum promissionis filios (qui nō in sua, neq; Abraham iustitia firmabuntur, sed in electione dei: nec ideo credent, quia filij Abraham erunt, sed ideo filij Abraham erunt, quia credent certissime, ut qui à deo donabuntur, Abraham non mendaciter promittente) cōsideres: tamen hæc stat, Abraham credidit, ergo filij eius debent credere, si uolunt esse filij. Hoc inquam satis erat Galatis insensatis. Rhomanis sapientibus alia debebantur. Itaq; sunt filij Abraham qui credunt, non alij.

Quicumq; enim ex operibus legis, &c.

Dixerat, benedictos esse eos, qui ex fide sunt: iam alio argumento à contrarijs assumpto, maledictos dicit, qui ex operibus sunt. Vide autem mirabilem syllogismū Apostoli. Adducit ex Deut. cap. 27. esse maledictos, qui nō faciūt ea, quæ scripta sunt in libro legis.

Ex qua negatiua colligit affirmatiuam hanc: Maledicti qui operantur opera legis. Nonne hoc affirmat, quod Moses negat? Et quo maior sit absurditas, suam affirmatiuam per Mosi negatiuam probat.

Diceret aliquis Festus Portius: Insanis Paule, multe literæ te ad insaniam redigunt. Quid ergo dicemus? An benedicti sunt, qui non operantur legis opera, etiã tanto apostolo doctore? At Moses dicit maledictos qui non faciant. Restat itaque, ut iam supra diximus, quod quicumq; extra fidem sunt, operantur quidem opera legis, sed legem non implent. Opera enim legis, simulata opera sunt. Sicut & infra capite 6. dicit: Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt. Et 5. capite, Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est uniuersæ legis faciendæ.

Ecce nihil implet de lege tota, qui circumcidit se, ergo neq; si ullum aliud opus legis faciat. Consequens est, ut Moses eo uerbo omnes homines sub maledictione coegerit, et cum dicit, Maledictus omnis etc. idem uoluerit ac si diceret: Nullus hominum hæc faciet quæ scripta sunt: ideo omnes erunt maledicti, egentes redemptore Christo.

Igitur apud apostolum & ipsam ueritatem fixum est, quod operantes opera legis non implent legem, & facientes non faciunt: sicut audientes non audire, & uidentes non uidere, Christus dixit. Videntur enim sibi legem implere, & opera legis facere: sed simulant potius, dum

us, dum sine gratia nec cor nec corpus mundare possunt. Ideo immundis nihil esse mundum necesse est.

Iam puto neutralenses meos hoc loco satis confos-
sos, qui opera quædam neutralia, & in genere morum
bona finxerunt. Hic apostolus legis opera maledicit,
legis inquam dei, quæ utique meliora fuerunt, quàm di-
ctaminis naturalis: & ipsa adhuc stertentes facient sca-
turos. At dicunt apostolum loqui de legibus cæremon-
ialibus, quæ iam sunt mortifera.

Contrà cæremonialia nec sunt, nec fuerunt unquã
mala: sed fiducia eorum, ut beatus Augustinus docet.
Deinde quod apostolus de omnibus legibus loquatur,
patet, quod (etiam querulante Hieronymo) uerbis Mo-
si addiderit Omnis. Et omnibus, inquiens, quæ in libro
legis scripta sunt. Fortissime autem, quod statim dicet,
Christum nos redemisse à maledicto legis. At gentes
nunquam fuerunt sub maledicto cæremonialis legis: er-
go omnes redempti sub maledictione legis fuerunt.

Sicut enim ante quoque dixi, parum præstitisset
Christus, si à circuncisione, sabbatis, uestibus, cibis, lo-
tionibusq; nos liberasset, & non multo magis à gra-
uioribus legis peccatis, concupiscentia, cupiditate, ira,
impietate: tum uere non fuisset saluator animarum, sed
corporum, quod hæc omnia corporalia fuerunt. Vere
itaq; peccatum & maledictum opus est cuiuscunque le-
gis, si extra fidem, id est extra puritatem cordis, inno-
centiã, iustitiã, fiat. Illud lectoris iudicio relictũ uolo.

an idē uel diuersum sit, quod Paulus dicit: Qui ex operibus legis sunt. Et qd' Moses dicit, Qui nō permāscrit (seu ut Ebraicè est) firmauerit omnia, etc. ut faciat ea.

Fortasse aliud est, facere opera legis, & aliud facere ea quæ scripta sunt: ut sit, facere quæ scripta sunt, idē quod implere: & facere opera legis, idem quod simulare quibusdam externis operibus impletionem. Sicut Christus dicit: Quid uocatis me domine, & nō facitis quæ dico uobis? Et Rho. 2. Non auditores, sed factores legis iustificabūtur. Certum est enim, quod maledictio utriusq; manet: & ijs, qui non faciunt, ut Moses dicit: & ijs, qui sunt ex operibus legis, ut Apostolus dicit. Ideo omnino tropus est Pauli. ut dixi, eos qui operātur opera legis, nō facere quæ scripta sunt in lege, in qua nimisrum fides scribitur. Hæc sola facit omnia legis.

Quod autem in lege nemo. &c.

Hæc est subsumptio explicaturi uerbū Mosi adductum. ac si dicat, Audis ex Mose, maledictum esse eum qui non fecerit ea, quæ scripta sunt. Et ego pariter assumpsi, tales esse, qui ex operibus sunt, utrumq; ita esse illud conuincit, quia apud deum in lege non iustificabitur ullus. Si non iustificabitur coram deo, iam non facit quæ scripta sunt. Quod si hoc est, uerè maledictus est: ij enim qui faciunt quæ scripta sunt, iustificabūtur. At quod operadores legis nō faciant, ex eo sanè probatur: Quia iustus ex fide uiuet, Habacuc 2. Si hæc scriptura

uera est, sicut oportet. Et opera legis cū sine fide sint, mortua nimirum sunt, & iniustus est qui facit ea: si iniustus, ergo non facit quæ scripta sunt. Hic uelim & illud In lege, pro Per legem, seu Lege dici. ut sit sensus: Per legem nemo iustus erit apud deum. ut opera legis simul includat.

Lex autem non est ex fide.

Hoc est quod dixi, ideo lege neminē iustificari, quia sola fide iustificabitur iustus. At lex & fides non sunt idem. Nec ipsa, nec opera eius sunt ex fide, neq; cum fide. Proinde coram hominibus iusti sunt, sed non apud deum: ut sequitur.

Sed qui fecerit ea homo, uiuet. &c.

Hoc uerbum ex Leuit. 18. adducit. & Rho. 10. Est autem apostoli sensus: Lex non uiuificat, nec iustificat coram deo: qui autem fecerit ea quæ legis sunt, uiuet ut homo in illis: hoc est, euadet pœnā legis, acquirētq; præmium legis, sed non uiuet in deo, nec ut filius Abrahæ. Quare uim uerborū expende. Homo uiuet in operibus legis, qui tamen mortuus est apud deū. Homo inquam non iustus, & in illis (operibus inquam suis) uiuet: id est, uitā tuebitur, ne occidatur iudicio legis: non autem uiuet iustus in illis, sed in fide.

Memento itaque hoc loco te ex apostolo didicisse, opera legis esse, quibus ad hominem apparemus iusti, & legis seruantes: intus autem defectu fidei nihil mi-

nus quàm iusti sumus: ideo per legem nō nisi hypocritam fieri, & sepulchrum foris speciosum, intus plenum spurcitia. Nam quo minus D. Hieronymus Paulum intellexit, in his & similibus locis, causa fuit, operum legis non recta cognitio, & nimia Origenis allegorizatio. Dicit enim hoc loco Moſen & prophetas sub operibus legis et maledicto fuiſſe: quod omnino falſum eſt. Fide enim iuſtificati & ſanctificati, uixerūt apud deū, etiam antequàm lex, & opera legis præciperentur, qualia ipſe uult ceremonialia tantum.

Tale & illud eſt, quod iuſtum ex fide uiuere, ſic intelligit, quod iuſto ſi acceſſerit fides, iuſtitia eius uiua erit: ita ut ſine fide uirtutes aſſerat, ſed uitioſas. Sed hæc & alia prudens lector ſic legat, ut meminerit ex alijs ea per D. Hieronymū allata. Non eſt iuſtus ullus ante fidem, ſed gratis iuſtificatur, & bonum pro malo *Apoſtoli accipit. Apoſtolus enim uult hominem ex lege uiuere ſententia.* apud homines: ſed iuſtū hominē ex fide apud deum. hoc eſt, quod iuſtitia, uita, & ſalus hominis, apud deū ſit fides. Nō iuſtitia prior fide, ſed per fidē iuſtitia & uita.

Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum (quia ſcriptū eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno) ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu, ut pollicitationem ſpiritus accipiamus per fidem.

Primum

Primum cum ijs expostulo, qui nec sub maledicto legis sunt, nec Christo redemptore indigent. Hi sunt, qui aliud esse contra legem, aliud cōtra intentionem legis statuunt. Cōtra legē agens peccat: sed contra intentionem legis nō peccat, tantū à bono deficit. Hæc uenena quis ferat? Sed audi quomodo probet (Intentionē aut uocat, qd' deus opera legis requirat in charitate fieri)

Si homo (inquiunt) teneretur ad intentionē legis, sequeretur, quod existens extra gratiam, assidue peccaret, nō occidendo, non mœchando, non furando, etc. Respondeo: Non peccat nō occidendo, &c. sed peccat intus, odiendo, concupiscendo, cupiendo latenter, & irritatus euidenter. Ista enim immunditia occulta cordis & carnis non tollitur, nisi fide per gratiā Christi.

Non est ergo intentio legis ut in gratia seruetur, tanquam sit gratia exactio quædam: sed intendit lex ut seruetur. Seruari autem non potest sine gratia, ideo cogit quærere gratiam. Itaq; omnes sub legis maledicto sumus, qui sine gratia fidei sumus, ut iam satis est dictū. Cum enim solum ex fide iustus uiuat, patet maledictio legis in incredulos, ne Christi redemptionem frustremus: aut tantum ad cæremonialia referamus, à quibus & homo potuisset nos redimere.

Deniq; opera legis fieri ex nobis potuerūt: reliquū ergo est, ut ab ira, impietate, concupiscentia, & alijs malis, in corde & carne, per Adā & Euam plantatis, redemerit: quibus facti immūdi omnes nos nihil imple

bamus de lege, quare iuste maledictioni & damnationi deputabamur. Sic per legem non adiutoriū, sed nostri mali indicium & monitoriū habemus. Sicut autem ad Corinthios dicit, Christum esse pro nobis factū peccatum, ut nos essemus iustitia dei in illo: ita hic maledictum, ut benedictio Abrahamæ fieret in Christo eodem in gentibus. Simili omnino tropo:

Sic mortuus est, ut nos essemus uita in illo: sic confusus, ut nos gloria fieremus in illo: omnia pro nobis factus, ut omnia fieremus in illo. Hoc est, si credimus in eum, iam legē implemus, & liberi sumus à maledictione legis. Nam hoc, quod nos merebamur maledici & damnari, pro nobis subiit & exoluit.

D. Hieron. mire laborat, ne Christum à deo maledictū admittat. Primū ponderat, qd' Apostolus nō reponat uerba legis, quæ sic habent, Deute. 21. Maledictio dei suspensus. Apostolus autem septuaginta sequutus, dicit: Maledictus omnis qui pendet in ligno. obmittens particulam à deo, quam illi addiderunt.

Breuiter, etiam si in Ebræ. nō ponatur (in ligno & omnis) tamen præcedentia textus cogunt de quolibet in ligno suspenso Moſen intelligi: ideo nihil apostolus mutauit quod mouere possit. Quod aut̃ omisit (à deo) nec hoc mouet: certū fuit apostolo, quod à deo factum intelligeretur. D. Augustinus refert quosdam parum eruditos id intelligi uoluisse de Iuda traditore suspēso.

Verum stat textus apostoli clarus, ideo Christū esse maledictū

maledictionem factum, non quod aliquid dignum maledicto admiserit: sed quia scripturæ sententia generalis est, omnem qui in ligno pependerit, esse à deo maledictum. Ideo apostolus, forte quia dire sonabat Christum maledictum uocari, molliuit hoc statim, adducta scripturæ authoritate. Nihil ergo est, quod D. Hieronymus hoc uerbum non de Christo uelit intelligi, cum apostolus, ut generalem sententiam adducens, de Christo uoluit probare quod dixerat. Nam quum ipsemet Christus ex Esa. 53. dicat se cum iniquis deputandum, quid monstri est cum maledictum cum maledictis nominare? Si cum sceleratis reputatus est, certe id quod scelerati uocantur, patiunturq; uocandus est.

Est autem homo duplex, interior, & exterior: ita duplex benedictio, et maledictio. Benedictio interior, gratia & iustitia in spiritu sancto: hæc proprie Abrahamæ promissa est in Christo. Maledictio interior, peccatum, iniquitas: ut Psal. 118. Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Et Matth. 25. Ite maledicti, &c. Et Hieremie 18. Maledictus qui facit opus domini fraudulenter. Idem: Maledictus qui confidit in hominem. Benedictio exterior, est abundantia rerū corporaliū. hæc propria fuit ueteris legis. Maledictio, est penuria: ut Malach. 3. Et in penuria uos maledicti estis. Sic Christus maledixit ficum, & exaruit. Sic Helisæus filios Bethel.

Nullus itaque scrupulus sit Christum esse maledictum cum omnibus suis sanctis, maledictione externa,

simul benedictum benedictione interna, ut Psal. 108. Maledicent illi, tu uero benedices. Sic nec horror est, Christum esse mortuum, passum, crucifixum: imò beati (inquit) cum maledixerint uobis homines.

At dices, Nondum probas quod à deo maledictus sit. id enim beatus Hieronymus mouit. Respondeo: Maledictiones hominum sine dubio, deo ordinante, quæquam tangunt. Sicut 2. Reg. 16. Dominus præcepit ei ut malediceret Dauid. Et ibidem: Dimitte eum ut maledicat mihi secundum mandatum domini. Non præcepit deus Semei ut malediceret: sed quando plenus erat maledictis, ut malo illius bene uteretur, uoluit ut in Dauid euomeret maledicta sua.

Quod autē D. Hieronymus audacter negat, in scripturis inueniri quenq̃ à deo maledictum, & nunquam nomen dei cū maledictione adiunctū. miror quomodo intellexerit qd' Gen. 3. serpens à deo maledicitur, & terra in opere Adam. Sed & Cain, capi. 4. maledicit deus. Item 4. Regū 2. maledixit Heliseus in nomine domini pueros Bethel. Et Habacuc 3. Maledixisti sceptris eius. Et Malach. 2. Maledicam benedictionibus uestris, & benedicam maledictionibus uestris.

Sed ad apostolū. Vt benedictio Abrahæ fieret in gentibus in Christo: id est, ut impleretur benedictio Abrahæ promissa, quod esset pater multarū gentiū in fide. Hec inquam fides promissa est in benedictione. Vnde hic iterum breuiter & obscure tangit, gentes fore filios Abrahæ

os Abrahamæ, non quia imitarentur, sed quia promissæ fuerunt: & ideo imitaturæ essent, quia filij essent futuri, deo promittente & implente, non gentibus facientibus & imitantibus. Non imitatio fecit filios, sed filiatio fecit imitatores.

Addit autem, In Christo. ne à linea discedat: quia non suis meritis gentes, sed nec alia uia Abrahamæ facti sunt filij, quàm per Christum, id eis promerentem, & ab eis per fidem susceptū: ut sequitur. Vt pollicitationem spiritus (id est, promissionē dandi spiritus sancti) per fidem acciperemus. Spiritus enim sanctus promissus est Abrahamæ, dum benedictio fidei ei est promissa. Fides etiam per spiritum sanctum donatur merito Christi, in uerbo & auditu Euangelij.

Fratres, secundum hominem dico, tamen hominis testamentum cōfirmatum nemo spernit, aut superordinat.

Apocopen facit apostolus. Addendum est enim, Ergo multo minus testamentum dei confirmatum nemo debet spernere, & superordinare. Dicit, Secundum hominem: ut rudibus Galatis humana similitudine persua-deat diuina, ut Hieronymus sentit. Verum meo iudicio, nullus tam eruditus est, qui non egeat huiusmodi similitudinibus in discendo Christo: imò maxime necessarium fuit hoc similitudinis exemplum: alioqui difficilius intelligeretur, quàm Rhoman. 4. capite, ubi

idem tractat sine exemplo huiusmodi. Et nondum uidi qui digne explicaret. Statuamus ergo utrunq; ante oculos, similitudinem, & rem ipsam: & uidebimus quantum iterum argumento legis iustitiam expugnet. Intendit autem hanc inferre conclusionem:

Si iustitia potest haberi ex nobis per legem & opera eius, iam frustranea est promissio benedictionis Abrahamæ facta, quia sine ea iusti esse possumus per legem, aut certe ipsa non satis est ut iustificet, si legis iustitia superaddenda est. Et sic testamentum & promissio dei, aut superfluit, aut deficit, ut necesse sit aliud superordinari. Vtrunq; autem detestabilissimum: ergo oppositum uerum, iustitiam legis neque necessariam, neque sufficiens. Ecce fortissimum certe argumentum.

Testamentum ex quo cui fit testamentum, est ipsum testamentum, est res quæ tuor constat. testatur, seu legatur. ita & hic: Deus est testator, ipse enim promittit & legat. Abraham & semen eius sunt, quibus fit testatio, ut heredibus dei testatoris. Testamentum est ipsa promissio, Genes. 17. & 21. Res testata est ipsa hereditas, id est, gratia & iustitia fidei, scilicet benedictio gentium in semine Abrahamæ.

Si ergo gratia promissionis et iustitia dei per Christum exhibita (& sic testamento dei per mortem suam confirmato, imò iam executo & distributo) non sufficit, nisi & legis iustitiam habeas. nonne iam testamentum dei, non nuncupatum modò, sed confirmatum, & expletum

expletum quoq; irritum fit, & aliquid ei superordina-
tur? quod ne hominis quidem testamento fieri debet. Si
autem sufficit gratia, & testamentum dei firmum est,
patet iustitiam legis non esse quærendam. Idem Rho.
4. Si qui ex lege sunt, hæredes sunt, exinanita est fides,
abolita promissio: quod uidelicet si iustitia legis satis
esset, non opus esset fide & gratia Abrahamæ promissa.

Vides ergo quàm digne tractet scripturas aposto-
lus, ita ut impossibile sit eum intelligi ab ijs, qui de le-
ge cærimoniali tantum eum putât loqui. Nam eodem
argumento cõcludit contra iustitiam decalogi: Si ope-
ribus eius iusti fieri possumus, frustra est fides & bene-
dictio Abrahamæ promissa in gentes diffundenda, cum
sine fide & benedictione illa simus iusti.

Abrahamæ autem dictæ sunt pro. &c.

Id est, testamentum dei ad eum dispositum. Quod
hic promissiones, infra statim testamentum uocat. Ob-
serua ergo, quomodo similitudinem per testamentum
applicet. Promissiones (inquit) dictæ sunt, id est res le-
gatæ, testamentũ. Quæ aut res? Benedictio gentiũ in
semine eius: id est, gratia fidei in Christo. unde sequitur.

Non dicit In seminibus, quasi. &c.

Illud quasi, male ponitur: melius diceretur, Vt in mul-
tis, Vt in uno. quod ui grammatici sensus patet. Vide, ut
semen Abrahamæ significatũ docet Christum, ne Iudæi se
esse iactarent, in quibus gentes benedicerentur, cũ tam

Quasi pro
ut.

multi sint: ut certum esse nunquam possit, in quo fieret satis promissioni: iterumq; promissio periclitaretur, et testamentum dei corrueret. Vnum ergo semen oportuit huic benedictioni dandæ nuncupari, non modò pro certitudine, sed & pro unitate unius populi dei ad se-ctas prohibendas.

Habes ergo testatorem, testamentũ, rem testamen-ti, ipsosq; quibus factum est: iam restat ut confirmetur, & confirmatum reueletur. hoc est, ut gentes eam in Christo benedictionem accipiant.

Hoc autem dico.

Id est, quod intende-bam nunc dico, nunc me expli-co, & applico.

Testamentum confirmatum, &c.

Id est, per mortẽ Christi ratum factũ. Ratum autẽ factum in Christũ: id est, ut in Christo tanq̃ repositum, gentibus distribuatur. Nam per Christum, in Christũ, testamentum dei impletum est. Non enim Christus sic mortuus est, ut gratia fidei diffunderetur, qua in aliũ quàm Christũ crederetur: sed in illũ ipsum Christum.

Quæ post quadringentos, &c.

Obscurissime & inuolutissime loquitur apostolus pro æstu suo. Testamentum (inquit) dei confirmatũ in Christum, non debet irritũ fieri per legem & iustitiam eius. Fieret autem irritũ, & euacuaret promissionem omnino,

omnino, si eius opera ad iustitiam necessaria forent, tanquam promissionis gratia non esset satis, aut impotens ad iustificationem nostri.

Quod autem addit, *Quæ post quadringentos triginta annos facta est lex. per tapinosin facere uidetur in legem. ac si dicat, Si promissio fuisset post legem data, poterat uideri per iustitiã legis merito impetrata. nũc uero adeò sine legis operibus gratia & iustitia datur, ut etiam tot annis ante legem, multo magis ante iustitiam eius, fuerit promissa, nullis merëtibz, nullis peccentibus, sed sola dei misericordia gratuito pmittente.*

Cur ergo lex euacuabit hãc gratiæ promissionem, & nunc exhibitionem, cum ad utrunq; lex nihil fuerit operata? Et Rhom. 3. dicit: Sine lege manifestata est iustitia dei. imò Rho. 4. contra operata est lex, dum irã potius operatur, & offensiones auget. Absit ergo ut iustitia in iustitia innitatur legi, et operibus nostris: imò innitatur dei fidelissimæ promissioni dei, qui non mentitur, etiam si promissioni nos per legem peiores & indigniores efficiamur.

Nam si ex lege hæreditas, iam, &c.

Id est, si iustitia quæ Abrahamæ promissa, est in benedictione, ex operibus legis, & ex nobis est, euacuata non euacuatur & superflua est promissio. Non potest idem ex nobis tur p legē. & deo esse, cum ipse uerax, nos mendaces simus. Probat hoc uerbo quod iam dixit, promissionem non euacuari per legem: quia (inquit) si ex lege, iam promissio

Promissio

euacuatur per legem, sicut & Rhom. 4. Si ex lege haberes, abolita est promissio.

Tropum apostoli satis supra commendaui, quod legem, & opera legis, & iustitiam legis, pro eodem habet: quod iustitia eiusmodi non uolentibus nobis, sed sola lege exigente fiat. Nostri theologi hoc uocant ex nobis, seu ex uiribus nostris, seu ex puris naturalibus: ideo Paulū nequeūt capere, qui legē uidetur accusare.

Abrahæ autem per repromissionē, &c.

Non per legem reddidit, sed per gratuitā promissionem donauit, cum lex nondum esset: multo minus lege ueniente impleuit eandem. sic habes totum hoc apostoli argumētum. Nunc id uidendum, quod legem post quadringentos triginta annos datam dicit.

Annorū ab Supputatur enim anni isti ab exitu Abrahæ de terra
exitu Abra ra sua, quando primo accepit promissionem. Gen. 12.
hæ ad exitū usq; ad exitū filiorum Israël, hoc modo: Abraham se-
filiorū Israē ptuagesimo quinto anno egressus est de terra sua. Gen.
el supputa- 12. Centenarius autē genuit Isaac (sic habes uiginti quin-
 tio. que annos) Isaac sexagenarius genuit Iacob & Esau.

25 Gen. 21. (signa sexaginta annos) Iacob nonagenarius
 60 genuit Ioseph (nonaginta annos signa) ut ex Genesi
 90 per multa capita colligitur. Ioseph uixit centū & de-
 110 cem annos, Genes. ultimo. Post hunc durauit seruitus
 65 Aegypti sexaginta quinque annos, ut uidetur ex Philone.
 80 Tūc Moses natus, cuius anno octuagesimo exierūt filij

Israēl

Israël. Igitur à septuagesimo quinto anno Abrahæ ad octogesimū annū Moysi, sunt quadringēti triginta anni.

Credo enim apostolum non ex supputatione ista dixisse, sed ex capite 12. Exodi, ubi dicitur: Habitatio filiorum Israël, quæ habitauerunt in Aegypto, fuit quadringentorū triginta annorū. Sic & Stephanus Act. 7. ex Genesi recitans historiā, ubi capite 15. Abrahæ deus prædicit quadringentos annos seruiturum semen suum. ipse miscens utrunq; locum, quadringentos triginta annos numerat.

Illud quoq; nota, quod apostolus promissiones dei testamentum uocat, sicut & alijs locis scripturæ uocant Deus moritur, in quo subobscurè indicauit, fore ut deus moreretur subitus, atq; ita in promissione dei, tanquam in nuncupato dicatur. testamento, simul incarnatio & passio dei intelligeretur. Nam ut Ebr. 9. Testamentū in mortuis cōfirmatur: quare nec dei testamentum confirmari debuit, nisi deus moreretur. ut ibidem de Christo dicit: Idcirco noui testamēti mediator est, ut morte intercedente re promissionem accipiant: & hunc esse diem Christi, quem promittente deo Abraham cognouit, & gauisus est.

Quo simul cōcordari potest, quod D. Hieronymus in Ebræo pactum potius quàm testamentum haberi dicit. Pactum, testatur moriturus. Itaque Iesus Christus, deus immortalis fecit pactū, idem simul testamentum, quia futurus mortalıs. Sicut idem deus & homo, ita idem pactum & testamentum.

Questio.

Quid igitur lex?

Quia negauit per legem iustitiam haberi, idq; satis robustis argumentis stabiliiuit, iustissime sibi obijci posse uidet, ad quid tum lex ualeat: cū omnis lex propter iustitiam & bonos mores poni uideatur. Et satis uides, quod de omni lege loquatur, etiam decalogi, per omnia, ut Rhom. 4. & 5. Respondet autem.

Solutio. Propter transgressionem posita est.

Quis unquam expectasset talem responsionem, contrariam certe omnibus, qui de utilitate legum sapere & dicere solent? Legem dicit positam, seu additam & appositam, ut transgressionem abundarent: eodem sensu, quo Rhoman. 5. cap. dicit: Lex subintravit, ut abundaret delictum.

Verum quod D. Hieronymus negatiue intelligit, ut per legē transgressionem cohiberentur: huic resistit. Primum, quod tum potius propter iustificationem posita dici debuit. Lex enim propter obseruationem ponitur. Secūdo, quod iste sit tropus apostolo familiaris: Lex est uirtus peccati, occasio peccati, lex mortis, lex iræ. sic Rhom. 4. Lex iram operatur: ubi enim non est lex, nec præuaricatio.

Ita certe ubi non est præuaricatio, nec remissio: ubi non est remissio, ibi nec salus. Proinde ut remissio propter salutem: ita præuaricatio propter remissionem,

ita lex propter transgressionem. Lex ponit peccatum,
peccatum remissionem, remissio salutem: hoc totum,
 quia sine lege peccatum mortuum est, & nō cognoscitur.
 R. Roman. 5. & 7. cap. Peccatum erat in mundo,
 sed non imputabatur usque ad Moysen.

Est ergo sensus: Lex propter trāsgressionem posita Sensus Apō
est, ut transgressio sit & abundet, atq; sic per legē ho- stoli.
mo in sui cognitionē perductus, quærat manū miserētis
dei: qui sine lege peccatum ignorās, sibi sanus uidetur.

Tertio, nec sequentia consonant, donec ueniret se- 3
 men. Absurdum est enim transgressionem cohiberi, do- Peccatum
 nec Christus ueniat, quasi tum sit non cohibenda, quum per legē au-
 apostolus contrarium uoluerit, quod peccatum per le- ctum, do-
 gem non solum sit non cohibitum: sed auctum quoque, nec Chri-
 donec Christus ueniens peccatū finiret, legem imple- stus finiret.
 do, & gratiam dando, ut Dani. 9. Gabriel dicit: Ut fis-
 nem accipiat peccatū, & adducatur iustitia sempiterna.
 ac si dicat: Peccatum sumpsit initium ab Adam, per
legem etiam incrementum, per solū Christum finē acci-
piet: qui iustitiā adducit mortuo peccato sempiternā.
 ut Psal. 110. & 111. Iustitia eius manet in seculū seculi.

Quarto, nec cum illo conuenit, Ergo lex aduersus 4.
 promissa dei. hoc non inferretur, si apostolus uellet in-
 telligi, legem pro cohibenda transgressionem positam,
 quia tum non esset aduersus promissa, sed pro promissis:
 Nunc uero quia peccatum auget, iramque pro-
 uocat, apparet non prouocare deum ad soluenda pro-

missa, sed potius irritare & impedire. Sic intelligēdo, contextus sibi pulchre cohæret: alioqui tot singas sententias, quot sunt constructiones necesse est.

Donec ueniret semen cui prom. &c.

Id est, in quo benedictio, iustitia, & plenitudo legis danda erat: & transgressionēs quæ per legem erant, non iam cohibendæ, sed extinguendæ. quod per fidem Christi efficitur.

Ordinata per angelos in manu, &c.

Ordinata (inquit) per angelos in manu mediatoris. Et beatus Stephanus quoq; Act. 7. Qui accepistis legem in dispositione angelorum, & non custodiistis. Et Ebræ. 2. Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, &c. Apparet itaq; apostolum uelle, legem esse literam, ideoq; non nisi uirtutem peccati existere. Et ut 2. Cor. 3. dicit: Litera occidit, spiritus autem uiuificat. Magnū quidem est per angelos ordinatam esse, sed hoc nihil ad iustitiam, cum angeli non possint nec pro nobis eam implere, nec dare id quo impleatur. id unū possunt, quod ordinante deo nobis eam tradiderunt. At quoniam ordinante deo tradita est, nimirum simul datur intelligi, omnino implendam esse. Nō enim angeli authores, sed ministri legis erant.

In manu mediatoris.

Hic est Moses, qui inter deum & populū sequester legem

legem ab angelis accepit, & populo tradidit: ideo minister peccati, & mediator mortis est. *Christus autem mediator.* Christus autem mediator melioris testamenti ad Ebræos dicitur. Ex hoc arguit Paulus, adeò non potuisse populum per legem iustificari, ut etiam legem non posset ferre, & audire: sed Mosen mediatorem accepit, quo non fuisset opus, si ipsi per se legem audire potuissent. Quomodo ergo eam facient, aut per eam iustificari possunt?

Mediator autem unus non est,
deus autem unus est.

Id est, deo pro se non fuit opus mediatore, nec in danda lege, nec in donanda gratia: sed nobis fuit opus utroque: ut legem ferre, & gratiam accipere possemus. Quia mediator inter duos necessario mediat: deus autem unus est, nec cum alio deo uel secum indiget mediatore. Indigemus autem nos cum ipso non indigente.

Lex ergo aduersus promissa dei? Absit.

Sic enim soluta una questione, aliam sibi suscitauit. Si enim lex transgressionem auget, iam irritare promittentis bonitatem uidetur. Hoc uerum esset, si promissio benedictionis inniteretur legi, aut iustitijs nostris in lege. Nunc uero soli ueritati promittentis nititur: ideo lex non aduersus promissa dei, imò pro promissis dei.

Quomodo? Quia dum peccata ostendit, & conuincit non posse per eam quenquam iustificari, quin & augetur peccatum per eam contingit, iam eo magis pro-

missionis impletionem queri, inuocari, expectari cogit, ut multo magis necessariam, quam dum lex non esset. Tantum ergo abest, ut contra promissa sit, ut eadem uehementer commendet, & optatissima reddat ijs, quos suorum peccatorum cognitione humiliavit.

Si enim data esset lex quæ posset uiuificare, uerè ex lege iustitia esset.

Id est, non est aduersus promissa: quia data est ut occidat, & peccatum augeat: hoc est, ut per legem homo agnoscat, quàm uehementer promissionis gratia indigeat, dum per legem bonam, iustam, sanctam, non nisi peior efficitur: ut sic non in lege nixus, fiducia operum legis securus fiat, sed longe aliud & melius per legem quaerat, id est promissionem.

Si enim lex uiuificare potuisset, iusti essemus, & contra promissionem faceret, imò eam uere tolleretur: at nunc occidit potius, & peccatores amplius facit: atque hoc ipso pro promissis facit, dum ea fortius optari cogit, & omnem iustitiam operum funditus destruit. Si enim non destrueret, promissionis gratia non quaeretur, ingrate susciperetur, imò repudiaretur: sicut fit in ijs, qui legem non recte intelligunt. Non destrueret autem, nisi non solum non iustificaret, aut uiuificaret: sed occasio quoque fieret plurium peccatorum, & magis occideret. Nam prohibita concupiscentia, semper irritatur, et maior fit.

Idcirco, & si aduersus promissa uideatur lex esse,
dum aut

Quum auget peccatū apud eos, qui peccatum per legem non agnoscunt: hoc tamen legis uitio nō fit, quia ne lex quidem est, ubi non recte intelligitur. Tunc autem recte intelligitur, quando peccatū per eam cognoscitur. Vbi autem intelligitur, & peccatū agnoscitur, ibi certe pro promissis facit, quia & gratiam promissionis suspirari facit: simul ostendēs, quā nullo merito sibi gratia debeat, ut stet & firmetur per legis intellectum, purissima promittentis dignatio, & sincerissima exhibitæ dignationis gratitudo.

Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

Hoc uerbo ad utrumq; respondet simul, quod lex sit Lex est causa causa transgressionis augenda posita, non tamen per se transgressionis posita. Omnes transgressionis posita. (inquit) sub peccato conclusit deus per scripturam: hoc est, per legem & literam ostendit id, quod eramus peccatores, & impotentes ad iustitiam seu legis impletionem: ut sic peccato per legem manifestato, infirmitateq; ad implendam conuicta, cogeret humilitos, de seipsis desperatos, tremantes, ad gratuitam misericordiā dei, in Christo propositam currere: & sic daretur (ut hic dicit) daretur inquā, non persolueretur.

Daretur autem indignis, & per legem longe contraria meritis, promissio Abrahamæ facta, hoc est gratia,

benedictio que iustificationis ex fide Christi, omnibus qui crederet in eum. Idem Rho. 3. Cōclūsit deus omnes sub peccato, ut omnium misceatur, & obstruatur omnes, & subditus fiat mundus deo: quia ex operibus legis non iustificatur omnis caro coram illo.

Quomodo cōclūsit? Per scripturas, per legem, per literam. Hoc est quod supra fidenter de operibus legis exposuit, quod Moses scripserat: Maledictus omnis qui non permanet in omnibus. Hoc est quod Rhoman. 3. causari se dicit cum fiducia, Iudeos & Græcos omnes sub peccato esse. & illud Psal. 13. cōstanter sup omnes pronunciare: Non est iustus, non est intelligens: omnes declinauerūt, simul inutiles facti sunt. Hoc est quod & Iudeos de specie operum fidentes, ipse nihil aestimata specie, audet Rhom. 2. reos definire: Eadem (inquit) facis, quæ iudicas: qui doces non furandum, furaris. scilicet cupiditate, &c. Adeò certus erat, sicut & reuera certum est, omnia quæ extra gratiam fiunt, peccata esse, & meras simulationes.

Extra gratiam facta, peccata.

Ita & beatus Augustinus illud Prouerb. ult. tractās de spiritu & litera, cap. 9. Lex & clementia in lingua eius. præclarissime dicit: Propterea de sapientia scriptum est, quod gerat legem & clementiam in lingua: Legem, ut reos faciat superbos: clementiam, ut iustificet humiliatos.

Sententia. Stat ergo sententia: Omnis homo mendax. Stat sententia: Non iustificabitur in cōspectu tuo omnis uiuēs. ut stet

ut stet simul gloria dei, laus gratiæ, & magnificentia
 misericordiæ suæ. Nobis (inquit Daniel 3.) confusio,
 deo nostro iustitia. &c.

Vides ergo, quid sit per fidē Christi iustificari, nem: Per fidem
 pe per legē cognita iniquitate & infirmitate tua, despe- Christi iu-
 rare de te, de uiribus tuis, de scientia, de lege, de operi- stificari.
 bus, prorsus de omnibus, & cum tremore ac fiducia in
 humilitate implorare solius Christi dexterā, seu mani-
 mediatoris. fortiter credens quod gratiam cōsequaris,
 sicut Rhoman. 10. ex Iohēle dicit: Omnis qui inuocau-
 rit nomen domini, saluus erit.

Simulq; uides totum genus humanum, quantalibet
 sapiētia aut iustitia coram hominibus fulgeat, nihil ef-
 se, nisi massam perditionis & maledictionis, qd' & ex
 uerbo promissionis licet cognoscere: In semine tuo be-
 nedicētur omnes gentes. Quid est, omnes gentes bene-
 dicendas esse, nisi omnes gentes maledictas esse? Ita iu-
 stificandas, saluandas esse, & quicquid nomine benedi-
 ctionis significatur: est eas peccatrices, perditas esse,
 & quicquid maledictionis nomine significatur.

Est itaq; lex posita, ut peccatum augeat. At nō so-
 lum peccati augmentum quæsitum est: sed ut homo su-
 perbus idipsum cognosceret, & terreretur per legē,
 coactusq; in sui desperationē, misericordiā sitiret. sicut
 ille Psal. 41. Quemadmodum desiderat ceruus ad fons
 tes aquarum, ita desiderat anima mea ad te deus. Item:
 Fuerunt mihi lachrymæ meæ, dum dicitur mihi cotti-

die, ubi est deus tuus? Hinc omnis clamor, gemitus, desiderium patrum, & prophetarum, & anxia Christi expectatio, & de legis onere grauissima questio.

Lex ergo bona, iusta, sancta, sed non iustificat: ostendit mihi quis ego sim, dum per eam irritor, & magis odi iustitiā quam prius, magis diligo concupiscentiam quam prius, solo terrore minantis legis coercitus ab opere malo, nunquam autem à concupiscentia mala.

Similitudo.

Et ut rem similitudine tibi tradam: Aqua bona est, sed superflusa calci, incendit eam: nunquid uitium aque est, quod calx calefcit? Imò calx, quæ frigere putabatur, per aquam conuicta est quid intus haberet: Ita lex concupiscentias & odia irritat & ostendit, non autem sanat. Si autem oleum calci superfuderis, non calefcit, sed extinguitur ardor eius occultus: ita gratia diffusa in cordibus nostris per spiritū sanctum, extinguit odium & concupiscentiam. Verbofissime hæc dixi, quod nostro seculo nō satis queat ista res inculcari, adeò rursum inualuit tyrannis iustitiarum legalium.

Verum tu obserua, si lex sanctissima dei non potuit nos iustificare, sed magis peccatores fecit: quid facient maria ista nostrarū legum, traditionum, ceremoniarū in ecclesia? præsertim quādo ea opinione seruētur, qua existimant sese iustificari in illis, nec scire permittant quid Christus, aut cur in eum credendum sit. Nō enim utuntur eis legibus, ut peccatū per eas cognoscerent, neque ut fidem Christi gratuita charitate exercerent:
sed sere

sed seruatis eis iustos sese confidunt, nec aliquo alio amplius indigere se credunt.

Aut si gratiam Christi implorant, ad hoc implorant, ut opera eiusmodi facere possint, non ut liberi fiant ab interna carnis corruptione & immunditia. Itaque ut sæpe dixi, per imprudentes, & tot infelices leges, necess: est ecclesiam funditus perire, nisi deus nobis remedium prouiderit.

Prius autem quam ueniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem quæ reuelanda erat.

Omnibus (inquit) qui sub lege sunt, antequam fide Lex carcer
iustificentur, lex ipsa uelut quidam carcer est, in qua con-
cludantur & seruentur: quia ui & terrore legis arcen-
tur à libertate peccandi, inuita & reluctante concupis-
centia. Furit enim concupiscentia, & odit legem car-
cerem suum, sed cogitur tamen ab operibus abstinere
peccati.

Hanc autem miseriam qui intellexerint, utiq; humili
liati gratiam suspirant: nec possunt de legis iustitia con-
fidere, quando sentiunt se inuitos ad legem, & pronos
ad peccatum per legem fieri: mallent enim legem non
esse, ut impune liceret concupiscentias explere. At hoc
malle, est legem odisse: Legem odisse, est ueritatem, ius-
titiam, sanctitatē odisse. hoc iam non solū est peccatū,
uerū & amor peccati, nō solū non esse iustū, sed odisse

In dei gra-
tia fidendū

etiam iustitiā : quod est uere peccatū per legē augeri.

Vnde beatus Augustinus hoc loco, quod per legem præuicatores legis ipsius inuenti sunt, non ad perniciem, sed ad utilitatem ualuit, eis qui crediderunt: quia per cognitionē maioris egritudinis & desiderari medicum uehementius fecit, & diligi ardentius. Cui enim plurimū dimittitur, plurimū diligit. Et hoc Rhom. 5. Vbi abundauit peccatū, superabundauit & gratia.

Non ergo lex solum posita est, ut peccatum reuelaret et augeret: alioqui melius dilata fuisset ad extremū iudiciū, ne duplici contritione cōtereremur: sed ut per peccatum reuelatū humiliaret, et ad Christū urgeret.

Illud, Priusquā ueniret fides, non tantū de fide, quæ post Christum reuelata est: sed de omni fide omnium istorū intelligitur. Nam & patribus olim eadem fides uenit: quia et lex dei eis primo reuelata, coëgit eos gratiā querere. Licet tum nō ita per orbē prædicaretur, prædicabatur tamen priuatim per familias patrum.

Ordo contextus.

Item caue ne sic contextū ordines: Conclusi in eam fidem, quasi in fide, uelut in carcere, conclusos intelligi uelit, cum hoc de lege affirmet: sed eramus conclusi carcere legis, & hoc in fidem, id est, ad fidem futuram: seu in hoc, ut fide futura liberaremur, quando lex carcere suo id fecit, ut per fidem optaremus liberari. Sicut supra, testamentum dei confirmatum in Christum: id est, ut in futuro Christo confirmaretur. Et mox, Lex pedagógus noster in Christū: id est, ad Christum fuit.

Itaque

Itaque lex pædagogus noster fuit in Christum, ut ex fide iustificemur. At ubi uenit fides, iam nō sumus sub pædago

Pulchra certe similitudo. Pædagogus à puero, & ago, nomen habet, quod pueros agat & exerceat. Sicut (inquit) paruulis pædagogus assignatur, qui lasciuientem refrenet ætatem: ita lex nobis data est, quæ cohiberet peccata. At sicut pueri solo timore discipline coërcentur, plerunq; & odiunt pædagogum, & liberi esse malunt, omniaq; faciūt uel coacti, uel blandicijs illecti, nunq̃ autem amore rei ipsius, nec libertate uoluntatis: ita qui sub lege sunt, timore minātis legis coërcētur ab operibus peccati, odiunt legē, maluntq; & ipsi liberas cupiditates habere. Faciūt aut̃ omnia coacti terrore pœnæ, aut amore temporalis promissionis illecti, nunquam autem gratuita, liberaq; uoluntate.

Deinde ubi pueri ad hæreditatē peruenerunt, intelligentes quā utilis fuerit pædagogus, iam incipiūt diligere quoq; & laudare officium pædagogi, damnareq; seipsos, quod non libentes & uolentes obtemperarint: nunc uero sine pædago suo sponte faciūt hilariter, quæ sub pædago nolentes faciebant & inuiti.

Ita nos fide obtenta, quæ uera est hæreditas nostra, Abrahæ & semini eius promissa, intelligētes quā sancta salubrisq; sit lex, quā fœda uero cupiditas, iam legem diligimus, laudamus, & mire probamus: rursum

cupiditates nostras eo magis damnamus & uituperamus, quo magis lex ipsa placet. Et nunc hilariter & libenter facimus, quod ignorantibus tunc nobis, salubris lex ui & terrore extorquebat foris, & tamē intus extorquere nequiuit. hoc est qđ dicit, iam nō esse nos sub pädagogo, postq̃ fides uenit: sed pädagogus amicus factus est, & à nobis honoratur magis quàm timetur.

Iterum (ut dixi) caue, ne sic contextum legas: Lex pädagogus noster fuit in Christo. quasi in Christo iam uiuentibus lex pädagogus noster sit, ut nostra translatio habet, & sapere uidetur: hoc enim apostoli sensum penitus subuertit. Sed sicut pueri sunt sub pädagogo, ad hæreditatem, id est, quo erudiantur, ut ad hæreditatem pertingant: ita lex est noster pädagogus ad Christum, ut per legem acti & exerciti, ad Christum, ad fidem, ad hæreditatem quærendam & suspirandam paremur. Lex enim (ut dixi) ad gratiam præparat, dum peccatum reuelat & auget, humilians superbos, ad auxilium Christi desiderandum.

Et hunc sensum apostolus iuuat particula sequēte, Ad Christū inquā, ut fide scilicet iustificemur, qui per legē peccatores fiebamur. Sic Psal. 68. Quoniā suauis est misericordia tua domine. Quare? quia amara est lex dei gratiā tua domine. Nō ergo puer sub pädagogo manebit, sed ad hæreditatem dulcius accipiendam erudietur: ita & rem reddit, lex gratiam dei dulciorem reddit & commendat.

Egregie itaq; finem legis declarat, non esse scilicet nostram

nostram iustitiam, & impletionem: sed suspirium ad Christum, ut per fidem eius quæratür impleri. At nostri iustitiarij legum suarum finem habent ipsas leges, & opera earum, nec eas ad Christum ordinant: sed in opera solum, ut in æternum percant cum Iudæis, quos imitantur, nec legem nec opera eius intelligentes.

Omnes enim filij dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu.

Quia fides est ipsa benedictio, ipsa hæreditas Abrahæ, in semine suo Christo promissa: ideo qui fidem in Christum habet, hæreditatem dei habet: si hæreditatem habet, iam non sub pedagogo, sed liber, & dominus, & hæres est. At nullis datur hæreditas nisi filiis: sequitur quod credēs in Christum sit filius dei. ut Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios dei fieri, ijs q credūt in nomine eius.

Quicumq; enim in Christo Iesu baptisati estis, Christum induistis.

Declarat esse eos filios dei per fidem Christi. Baptismus (inquit) facit ut Christum induatis. Christum autem induere, est iustitiam, ueritatem omnemq; gratiam, totiusq; legis plenitudinem induere. Quare per Christum habetis benedictionem, & hæreditatem Abrahæ. Si autem Christum induistis, Christus autem filius dei, & uos eodem indumento filij dei estis.

Est autem hic tropus apostolicus, quo & ad Rhom. Tropus 13. usus, dicit: Sed induimini dominum Iesum Christum. apostoli.

Eph. 4. Induite nouū hominē, qui secundū deū creatus est, in iustitia & sanctitate ueritatis. Veritatis, inquit, quia sola lex sanctitatē & iustitiā simulationis induit.

Non est Iudæus, non est Græcus. &c.

Cur iustus
quis.

Nō (inquit) ideo iustus es, quia Iudæus es, & legis obseruator: sed quia in Christū credens, Christum induisti. Quid ergo ad Iudaismū trahimini per pseudoapostolos? In Christo, sicut persona Iudaica obseruatīe non est, ita nec ulla alia. Humanarū & legalīū iustitiarum est per sectas diuidi, et penes opera discerni, aliud illis, aliud istis profitentibus, agentibus, sectantibus.

Christianus
est sine no-
mine, spe-
cie, differen-
tia, persona

In Christo omnia omnibus cōmunia, omnia unum,
& unū omnia. Sic infra 5. In Christo Iesu neq; circumcisio aliquid ualeat, neque præputium, sed fides & noua creatura. Idcirco Christianus, siue fidelis, est homo siue nomine, siue specie, siue differētia, siue persona. Psal. 132. Ecce quā bonum, & quā iucundum, habitare fratres in unum. Vbi unitas, ibi nec species, nec differētia, sed neq; nomen. Sic inclytus martyr Attalus requisitus de nomine dei, optime respondit: Qui plures sunt, discernūtur nominibus: q̄ unus est, nō indiget nomine.

Attalus.

Iusti sine
nomine.

Et hac ratione uocatur ecclesia in scripturis abscondita, & occulta. Et mire obseruatur, ut quoties describuntur iusti, sine ullius sectæ aut personæ uocabulo describantur: ut Psal. 1. Quoniam nouit dominus uiam iustorum. non ait Iudæorum, uirorum, senū, puerorum: Et 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Respondet:

ſpondet: Qui ingreditur ſine macula. non ait, Iudeus, huius aut huius profeſſionis. Et Pſalmo 109. In conſilio iuſtorum & congregatione. non ait, ſacerdotum, monachorum, epiſcoporum.

Eodem iudicio dicendum de alia quacunque perſona: quia deus perſonam nō recipit. Non eſt ergo diues, nec pauper, nec formoſus, nec deſormis, nec ciuis, nec ruſticus, nec Benedictinensis, nec Carthuſienſis, nec Minoritanus, nec Auguſtinenſis. Omnia hæc talia ſunt, ut Chriſtianum non faciant, ſi aſſint: nec infidelem, ſi deſint. Et prorſus in hoc cœpta & facta, ut Chriſtianum exerceant, & meliorem faciant.

Vnde hoc loco beatus Auguſtinus: Iſta differentia Iudeorum & gentium, uel conditionis, uel ſexus, manet propter corpus, in hac uita mortali: ablata eſt autem per unitatem fidei in ſpiritu. quia de illa non tantum apoſtoli, ſed & ipſe dominus, ſaluberrimas traderunt doctrinas. Chriſtus enim mandat dare caſari, quæ ſunt caſaris. Apoſtoli ſeruos obedire dominis ſuis, uxores ſubijci uiris ſuis: omnes uero magiſtratibus parere: cui tributum, tributum: cui honorem, honorem. At hæc omnia ſunt perſonalia.

Hoc ſolum queritur, ut ijs perſonis non contra uni Sectæ inſertatem fidei, ſed pro unitate fidei ſeruiamus: ut non ſit uiant fidei fortior diſſimilitudo externæ conditionis, quàm ſimilis unitati, tudo internæ fidei: ſicut prohdolor nunc inter titulos profeſſionũ, dignitatũ, religionum, eccleſiarũ, artium,

gentium, regionum, familiarū, amicitiarum, foederum, uidemus pugnas & lites infinitæ diuersitatis: ut uel hoc argumento probatum sit, fidem in ecclesia extinctam esse, & solas laruas, & (ut Esaias de Babylone dicit) pilosos, ululas, syrenas, in ea bacchari.

Omnes enim uos unū estis in Christo.

Id est, in fide Christi unum estis: etsi pro corporis & huius uitæ necessitate, necesse sit in diuersas personas diuidi, sicut multa membra, tamen unum corpus sub uno capite.

Si autē uos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionē hæredes.

Quia dixit induisse nos Christum, & unum in Christo factos: idem ergo quod de Christo dictum est, etiam de nobis propter Christum dictum intelligitur. Non enim potest Christus separari à nobis, nec nos ab illo: cum unū simus cum illo, & in illo, sicut membra unum in capite, & cum capite uno. Vt ergo de alio q̃ Christo promissio dei intelligi non potest: ita cum aliud quàm Christus nō simus, de nobis quoq; intelligatur oportet.

Vere ergo Abrahæ semen sumus, & hæredes, non secundum carnem, sed secundum promissionem: quia illi sumus de quibus in promissione fit mentio, de gentibus inquam, in semine Abrahæ benedicēdis. Sic Rhom. 10. Filij promissionis æstimantur in semine. Non qui filij carnis, hi filij dei, &c.

CAPVT